Q. D. B. V.

גבאי צדקה

DE COLLECTORIBVS ELEEMOSYNARVM VETERVM EBRAEORVM EXERCITATIO

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DNO. GVILIELMO HENRICO

SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE

ET WESTPHALIAE DVCE RELIQ.

PRAESIDE

DAN. GODOFREDO WERNERO

MAG. PHILOS. EIVSQVE AMPLISS. ORDIN.

ADIVNCTO

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIT

IOHANN. GVILIELMVS ZEHNER

MANNHEMIO-PALATINVS. S. S. THEOL. STVD.

AD D. MAI. A. O. R. M DCC XXVI.

IENAE LITTERIS MVLLERIANIS.

oll. diss. A
32, 11

a. CXXXII. 11.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn327506385/1
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächs.
Landes-
Bibl.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn327506385/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

EXERCITATIO
DE COLLECTORIBVS ELEEMOSYNARVM.

SYNOPSIS.

§. I. *Nomen:* collectores.
§. II. *an* pastores *dicti?*
§. III. *Significatus & origo vocis* פרנס
§. IV. *dubia contra hanc denominationem.*
§. V. *Responsio ad ea.*
§. VI. *an* diaconi *dicti?*
§. VII. *an* חזנים *fuerint?*
§. VIII. *in quacunque vrbe fuerunt, electi a multitudine.*
§. IX. *Ab iis, qui summam curam eleemosynae habuerunt,*
§. X. *Confirmati & initiati.*
§. XI. *Qualitates eorum: debebant esse* noti,
§. XII. fideles,
§. XIII. *ab omni suspicione liberi,*
§. XIV. sapientes & intelligentes.
§. XV. *Cessantibus hisce, nemo obstrictus erat ad eleemosynas publice dandas. R. Chanina b. Tardeion exemplum.*
§. XVI. *Quotuplices eleemosynarum collectores? Quot erant fisci?*
§. XVII. *Quot* Paropsidos?
§. XVIII. *Officia illorum, in eos, a quibus exigebant;*
§. XIX. *In pauperes, quibus distribuebant.*
§. XX. *Tempus distribuendi. In ieiuniis* paropsis *debebat distribui.*
§. XXI. *Si fiscus inops esset, mutuo dabant collectores.*
§. XXII. *Quid cum eleemosynis agendum, quando pauperes non adsunt. An collectores iis vti possint? collectorum merces.*
§. XXIII. *An collectores eleemosynae fuerint ex decem otiosis?*
§. XXIV. *An ex septem bonis viris civitatis?*
§. XXV. *An iis originem debeant* diaconi *ecclesiae christianae?*

§. I.

PVblica munera in quacunque Ebraeorum ciuitate gerebant, qui praeerant eleemosynis colligendis pariter & distribuendis. Vocabantur גבאי צדקה *Collectores eleemosynae* a Chaldaeorum גבא, quod tum tributa vectigalia &, quae quisque debet, *exigere*, quam ea *colligere* denotat, *quae liberaliter porriguntur*. Si prius spectes גבאין *exactores* sunt, quibus facilem poenitentiam denegant talmudici, quando tradunt * הרועים והגבאין והמוכסים תשובתן קשה *pastorum, exactorum & publicanorum poenitentia difficilis est:* &, quos indignos iudicabant privilegiis academicis in *Bechoroth* ** חבר ונעשה גבאי דוחין אותו מחברתו *si quis collegarum* (in academia) *fiat exactor, illum privilegiis collegii privant.* Sin posterius, honestiores sunt גבאי צדקה *Collectores eleemosynae.* Quod nomen partem tantum muneris illorum exprimit, quandoquidem eleemosynas non tantum colligere, sed etiam rite administrare & distribuere debebant. ***

§. II.

Eosdem פרנסים vocari *pastores*, celeberrimus LIGTFOOTVS obseruauit * & in huius rei testimonium locum produxit ex *Pea Hierosolymitano.* Quem, qui de rei veritate satis tuto vult iudicare, is ipse consideret, necesse est. Repetemus itaque hic integram istam pericopam, quae, subiuncta RHENFERDI versione, sic habet: רבי חלבו בשם רבי בא בר זבדא אין מעמידין פרנסים פחות משלשה אנא חמי דיני ממונות בשלושה דיני נפשות לא כל שכן. ויהיו עשרים ושלושה. עד דהוא מצמרת לון הוא מסכן. רבי יוסי בשם רבי יוחנן אין מעמידין שני אחין פרנסין. ר' יוסי עבד חד מן תרין אחין עאר ואמר קומיהון לית נמצא לאיש פלוני דבר עבירה אלא שאין מעמידין שני אחין פרנסין ר' יוסי עאל לכפרא בעא סוקמה לון פרנסין ולא קבלין עליהון. על ואמר קומיהון בן בני

* Baba Kamma fol. 94. 1.
** Bechor. fol. 35.
*** Rhenferd. de decem otios. diss. 1. §. 76. pag. 89.
* ad Matth. IV. 23.

בבי ערי הפקיע· ומה אם זה שנתמנה על הפתילרי זכרי
להמנות עם גדולי הדור· אתם שאתם מתמנים על חיי נפשותי
לא כל שכן· ר' חגיי בר הוה מקים פרנסין הוה משען לון
אוריתי לומר שכרי שררה שניתנרי מתורי ניתנה· בי
מלכים ימלכו בי שרים ישורון רבי חייא בר בא מקים
ארכונין· ר' ליעזר הוה פרנס חד זמן נחית לביתורי אמר לון
מאי עבריתון אמרין לו אתא חד סיעא ואכלון ושתון
וצלון עלך אמר לון ליכא אגר טוב· נחת זמן תינין אמר לון
מאי עבריתון אמרן לו אתא חד סיעא חורי ואכלון ושתון
ואקלונך אמר לון כדין איכא אגר טוב *R. Chelbo nomine R. Ba, R. Zebedaei dixit: non conſtituunt parnaſim pauciores tribus: video enim iudicia pecuniaria adminiſtrari a tribus, nonne itaque multo magis, quæ vitam hominis ſpectant?* (Obiectio) *Ergo tres & viginti eſſe debebant* (quot ſunt iudices in cauſis capitalibus. Reſp. nequaquam vero) *nam priusquam aliquis illos omnes in unum cogere poſſet, iam extrema ageret in extremum vitae periculum adductus. R. Ioſes nomine R. Iochanan: non conſtituunt* (inquit) *duos fratres parnaſim. Idem cum aliquando vnum ex duobus fratribus* (parnas) *crearet, adiit & dixit ad illos: non in τῶ δεῖνα crimen vllum inventum* (cur illum non conſtituerim parnas) *ſed quia non creant duos fratres parnaſim ſimul. Idem R. Ioſe aliquando Kepharam abiit, ut ibi parnaſim ordinaret; ſed non recipiebant in ſe* (hoc munus). *Dixit itaque illis, Ben Bebhai praefectus fuit flagellationi, quod ſi itaque is, qui flagello tantum praefuit, ſummis ſeculi ſui viris annumerari meruit, nonne vos multo magis, qui vitae hominum praeficiendi eſtis? R. Chaggai quando Parnaſin creabat, arguebat illis ex lege* (vel ſi commentarium ad h. l. ſequimur, *librum legis illis in manum tradebat?*) *dicens: πᾶσα ὅσα ἐξουσία a lege data eſt;* (ex illo Prov. VIII. 15. 16.) Per me reges regnant & per me principes dominantur. *R. Chiia F. Ba, conſtituebat ἄρχοντας. R. Lazarus Parnas fuit. Is cum aliquando domum ſuam ingrederetur, quaerebat ex illis,* (domeſticis) *quid egerunt illi* (pauperes?) *cui hi, venit, inquiunt, coetus quidam, ederunt, biberunt ac denique pro te vota fecerunt. Tunc ille: non erit bona merces. Cum rurſum alio tempore domum rediret, eodem modo, quod-*

nam fuit, inquit, institutum illorum? Cui domestici: Venit alius quidam coetus, ederunt & biberunt, tibique tandem maledixerunt. Tunc inquit ille, mihi bona merces expectanda.

§. III.

פרנס *Parnes* quidem *pascere, sustentare, nutrire* significat & in negotio eleemosynarum adhibetur. Ita Esai. LVIII. 7. chaldaeus paraphrastes הלא תפרנס לכפנא מלחמך *nonne sustentabis esurientem de pane tuo,* vbi in ebraeo textu extat. הלא פרוס לרעב לחמך *nonne franges esurienti panem tuum.* Et Koheleth XI. 1. שלח לחמך על פני המים *mitte panem tuum in superficiem aquarum,* exposuit paraphrastes אושט לחם פרנסותא לעניי ראולין בספינן על אפי מיא *porrige panem sustentationis tuae pauperibus, qui navibus transeunt aquas.* Et in libris, de moribus iudaeorum, haud infreqvens est locutio המתפרנס מן הצדקה *qui sustentatur eleemosynis.* DAVID COHEN DE LARA * פרנוס, quod in chaldaica paraphrasi occurrit & *cibum, alimentum,* notat, ad graecam voeem πύρνος retulit, quam *Suidas* exposuit *ἀπόκλασμα τοῦ ἄρτου frustrum panis.* Sed non possumus inficiari, nobis magis arridere CAMPEGII VITRINGA ** (ut ipsi vocare placuit) ingenii lusum, quo originem τοῦ פרנס chaldaeorum in ebraeorum פרס quaerit, adhibito ב pro dagesch forti, coniugationis gravis charactere; quod solenne est chaldaeis. *** Alias quidem ante literam duplicandam inseritur ב, cum vero sonum aemuletur literae sequentis, & inde geminus soni horror & dupla pronunciandi difficultas nec molliarur nec diminuatur: vicarium dagesch fortis cum ר transponitur. quod ebraei pariter ac chaldaei oderint ב cum schua quiescenti notatum, immediate ante ר antecedere, ex eo colligere licet, quod nullum verbum in vtraque lingua occurrat a ב incipiens, cuius secunda radicalis sit ר. Neque inauditum est, literam ב vices gerentem dagesch fortis postponi. Sic Iesaiae XXIII.

* In *Ir Dauid f. de conueniensia vocabulorum rabbin. cum graecis.* v. *Vitringa* Lib. III. p. I. c. 2. de *Synagog. Veteri* pag. 627.

** l. c. p. 626.

*** v. Celeberr. *Danzii* literat. §. u. in fine.

XXIII.11. מָעֻזֶּיהָ *munitiones eius*, occurrit pro מָעֻזָּיהָ, vbi annotauit *R. Schelemo ben Melech.* * הנון נוספת או היא תחת אות הכפל שהיתה משפטן מעזיה ולהקל הקריאה החליפו אותה הכפל בנון וכן כי לא תמנו כמו תממו והוזן רפה *Nun adscititium est, aut est loco literae duplicandae: esset enim analogice* מַעֻזֻּיָּהָ *sed ad facilitandam pronunciationem literam geminandam cum* נ *permutarunt*, uti *Thren. III. 22.* תמנו pro תממו. *Hinc* ז *nullum dagesch habet.* Prouti ergo פרס κλάσιν τῦ ἄρτυ, *frangere panem & distribuere inter conuiuas* vel ψωμίζειν, *frusta panis ad nutriendum porrigere* ** denotat: ita & פרנס *cibandi & pascendi* potestatem habet; adeo vt graecorum πύρνος potius ad chaldaeorum פרנס *alimentum* referendum esse arbitremur, quam ex graecorum πύρνος *triticeus* detorquendum. Quae cum ita sint פרנס *Parnas* formae גַּנָּב ratione etymi *pastorem* significat, *qui ad sustentandum alios alimenta porrigit.*

§. IV.

Sed, si usum spectamus, communissime *gubernatorem, ducem* & potissimum *Synagogae & iudaicae politiae rectorem aut iudaeorum consulem denotat.* *** simulque omnes partes *doctoris* includit, qui faciendis precibus, exhortationibus ad populum & explicandae scripturae sanctae est adhibitus. Vnde & *rectores* & *directores* ecclesiae noui testamenti ποίμενες, *pastores* dicti fuerunt. * Neque ullus rituum iudaicorum scriptor, quamuis de eleemosynis earumque administrationibus ex professo egerit, illos unquam פרנסים *Parnasim* sed constanter גבאים *Gabbaim* vocauit; hinc merito dubitasse videtur doctissimus CAMP. VITRINGA, an nomen פרנסים *Parnasim* eleemosynarum collectoribus competat. Ipse quoque eruditissimus IACOB. RHENFERDVS haud leues in loco ex *Pea hierosolymitano* adducto difficultates invenit. • Nam, primo hic tres *Parnasim* constituuntur, cum גבאים, *gabbaim* sive *collectores eleemosyna-*

* Idem obseruauit ad הממנו *Psalm.* LXIV 7. & *Thren.* l. c.

** conf. si libet, dissert. nostr. *de fisco & paropside paup.* §. XIX.

*** Vid. *Vitring.* de Synag. Vet. l. c. p. 631. seqq.

• l. c. §. 93. p. 102. seq.

mosynarum tantum duos esse alias abunde constet: deinde officium horum *Parnasim* confertur cum *iudiciis capitalibus*, cum officium *collectorum eleemosynae* alibi passim simile dicatur iudiciis pecuniariis: & demum duo fratres non creandi sunt *Parnasim*, at possunt simul esse *Gabbaim*.

§. V.

Veruntamen omnes hi scrupuli facile euelli possunt, modo attendamus non de *fisci* sed de *paropsidos collectoribus* sermonem esse. Hi enim proprie adpellari poterant פרנסים *pastores*, quia ἐψώμιζον frusta panis & ciborum alendis pauperibus praebebant. * Agitur etiam ibi de duabus eleemosynarum speciebus, *fisco & paropside pauperum* &, posteaquam mentio facta est numeri eorum, qui in paropsidem colligunt, ita: רב הונה אמר תמחוי בשלושה *Rabh Huna dixit paropsis a tribus* colligitur; *Gemara* pergit in natura תמחוי *paropsidos*, de qua ultimo loco locuta erat, pluribus explicanda, &, hanc a tribus colligi, confirmat testimonio *R. Chelbo*, nomine *R. Ba fil. Zebedaei*, docentis, & exempla quaedam adducit, cum eorum, qui aliis hoc munus obtulerunt, tum illorum, qui illud gesserunt. ** His obseruatis, omnia sibi constant. Nam, qui paropsidi praeerant semper tres esse debebant, & hi cum iudicibus causarum capitalium poterant contendi; vti infra ostendemus. Neque dubium, cum hae fuerint inter duplices eleemosynarum collectores differentiae, tertiam quoque accessisse de duobus fratribus, qui simul *eleemosynas catini* non poterant administrare, quamvis in altera specie licitum esset. Adeoque LIGTFOOTVS non destitutus omni fundamento asseruit, vocari eleemosynarum collectores פרנסים *pastores*: licet in eo aberrasse videatur, quod nomen vni tantum generi eleemosynarum proprium, etiam alteri commune fuisse arbitratus sit. Ipse quoque CAMPEGIVS VITRINGA largitur in loco talmudis supra producto, nomen פרנסים *pastorum* eleemosynarum collectoribus tribui, quippe

* conf. Dissert. nostr. de Fisco & Paropside pauperum §. 17. & 19.

** hanc εὐφωνίαν ostendit *Rhenferd.* l. c. §. 101. p. 107. qui simul in antecedent. ad dubia sua respondit.

quippe quod omnes circumstantiae efflagitent: non tamen concedit, hanc significationem apud Iudaeos frequenti vsu receptam & valde familiarem fuisse.* In quo & nos acquiescimus.

§. VI.

Idem LIGTFOOTVS *eleemosynarum collectores* comparavit cum *diaconis* in nouo testamento obuiis & horum nomine illos condecorauit. Διάκονος in genere quodcunque *ministerium* innuit. Ita διακονεῖν de *angelis* usurpatur Matth. IV. 11. qui vocantur Ebr. I. 14. λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα, *ministrantes spiritus ad ministerium missi*; speciatim vero vel *ministerium verbi diuini* vel *ministerium mensae* denotat. Actor. VI. 4. ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν. *Nos vero in precibus & ministerio verbi perseuerabimus*, ubi opponunt apostoli διακονίαν τοῦ λόγου *ministerium verbi* τῷ διακονεῖν τραπέζαις *ministerio mensarum*, dicentes v. 2. οὐκ ἀρεστόν ἐστιν ἡμᾶς καταλείψαντας τὸν λόγον τοῦ θεοῦ διακονεῖν τραπέζαις, *non consultum est, nos, derelicto sermone Dei, mensis ministrare.* Hinc etiam apostoli διάκονοι ** & apostoli munia διακονία *** nominabantur. Quod ad *ministerium mensae* attinet, iam apud graecos διάκονοι erant, qui conuiuis ministrabant. Ita ATHENAEVS, vbi conuiuia veterum, honoris Deorum causa facta, commemorat, in iis, inquit, δοῦλος οὐδεὶς ἦν διακονήσων, ἀλλ' οἱ νέοι τῶν ἐλευθέρων ᾠνοχόουν, *nullus seruus aderat, qui ministraret; ingenui liberique adolescentes vinum fundebant:** & iterum paulo post, quando craterum mentionem iniecit, qui iam parati adstabant in conuiuiis, ἐξ ὧν ait οἱ κοῦροι διακονούμενοι, τοῖς μὲν ἐντιμοτάτοις ἀεὶ πλῆρες παρεῖχον τὸ ποτήριον, *ex his, qui ministrabant pueri, honoratissimis conuiuis poculum plenum semper exhibebant:*** &, vbi conuiuium regis Syriae, Antiochi Epiphanis, vel potius, ob res amenter gestas, *Epimanis* dicti recenset, de ipso rege enarrat καὶ τοὺς διακόνους τοὺς τὰς παραθέσεις φέροντας

B

* de Synagog. Vet. libr. 3. part. 1. p. 630.
** 1. Cor. III. 5. 2. Cor. XI. 23. Ephes. III. 7. Col. I. 23.
*** Actor. I. 17. Rom. XI. 13. 2. Cor. IV. 1. conf. *Cornelii Adami exercit. exegeticas p. 356.*
* Dipnos. lib. V. p. 192. b.
** Ibid. f.

τας αὐτὸς εἰσήγαγεν & *miniſtros* (diaconos) *qui fercula portabant, ipſe introduxit.** Quod ne in ſcriptura quidem novi fœderis inuſitatum eſt Lucae XXII. 27. Chriſtus dixit. τίς γὰρ μείζων ὁ ἀνακείμενος ἢ ὁ διακονῶν; *Quis enim major eſt, qui accumbit, an qui miniſtrat?* Et Ioh. II. 5. 9. qui miniſtrabant in conuiuio nuptiali, quod Canae Galilaeae celebrabatur, διάκονοι appellati ſunt. Horum miniſtrorum officium erat, adponere cibum & potum, quem ſumtu ſuo parauerat conuiuii dominus, ad ſatietatem. Interdum vero διακονεῖν *curam & contentionem* innuit de apparando conuiuio. Ita Martha, quae domo exceperat Chriſtum, & eundem conuiuio excipere volebat, diſtracta dicitur περὶ πολλὴν διακονίαν *propter multum miniſterium:* &, cum accuſaret ſororem ſuam, quod ſe ſolam διακονεῖν *miniſtrare*, relinqueret: reſpondebat Ieſus, Martha, Martha, curas & fatigaris de multis Luc. XI. 40. 41. Hinc porro quae vitae & victui neceſſaria ſunt, ſubminiſtrare ſignificat, Lucas cap. VIII. 2. 3. pias matronas recenſet, quae διακόνουν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς *miniſtrabant Chriſto ex iis, quae ſibi ſupperebant.* Et, quando Matth. XXV. 44. extremus iudex ſtantes e manu ſiniſtra improbos arguit crimine neglectus officiorum charitatis: hi ad leuandam culpam reſpondent: domine quando te vidimus eſurientem aut ſitientem, aut peregrinum, aut nudum aut infirmum aut in carcere καὶ οὐ διηκονήσαμέν σοι & *non miniſtrauimus tibi.* Poſtea, chriſtianis in coetum collectis & communione bonorum facta, qui communis theſauri adminiſtratores erant, & ex eo victum quotidianum ſingulis praebebant, dicebantur διακονεῖν ταις τραπέζαις, *miniſtrare menſis* & illa ipſa adminiſtratio ἡ διακονία ἡ καθημερινὴ, *miniſterium quotidianum*, vocabatur Actor. VI. 1. 2. Tum nullus egenus erat inter Chriſtianos **, cum vero ſocietas bonorum nec vniuerſa nec perpetua eſſet *** & diſtinctio inter diuites & egenos locum inueniret, διακονεῖν erat, vel ſanctis pauperibus, quae ipſis neceſſaria erant, liberaliter dare, vel, data rite adminiſtra-

* lib. V. p. 195. e.
** Actor. IV. 54.
*** Conf. ſumme Reuerend. *Buddeus* Inſt. Theol. Moral. II. 3. 5. 17.

ſtrare.* Priori modo vſurpatur, quando Paulus Ebraeos ſuos laudat Ebr. VI. 10. διακονήσαντες τοῖς ἁγίοις καὶ διακονῦντες *qui miniſtrauerint ſanctis & etiamnum miniſtrent.* Vnde διακονία *eleemoſynas* in pauperes fideles erogatas ſignificat 2. Cor. VIII. 4. IX. 1. Poſteriori modo adhibetur Rom. XV. 25. quando Paulus ſcribit, ſe profecturum Hieroſolymam, διακονῦντα τοῖς ἁγίοις *miniſtrantem ſanctis* i. e. ad porrigendum iis eleemoſynas, quas ab aliis eccleſiis collegerat. Vnde διακονία eſt *eleemoſynarum adminiſtratio* & διακονος *eleemoſynarum adminiſtrator.* Quae ſi perpendas, haud incongrue vocaueris גבאי צרקה *diaconos* & ſpeciatim גבאי המחוי *diaconos menſarum*, quoniam quotidie pauperibus cibos collectos ſubminiſtrabant. Praeſertim, ſi conferas iudaeorum שמש *miniſtrauit*, quod aliquando adhibitum fuit de *eleemoſynarum* adminiſtratione. Vti auctor lexici, *Aruch*, ex capite primo Codicis de Ieiunio locum adduxit: שמש בשבת צרקה לעניים *adminiſtrauit ſabbatho eleemoſynas pauperibus.***

§. VII.

Non tamen confundi debent cum חזנם diaconis, *miniſtris ſynagogae*, quod magnus GROTIVS *** fecit, hanc ob cauſſam iam pridem a RIVETO * reprehenſus; ſed denuo defenſus ab HAMMONDO **, cui viro eruditiſſimo, quamuis nollet RHENFERDVS haec excidiſſe, quae ſummam rerum iudaicarum ignorantiam manifeſto produnt: denuo tamen diaconorum originem a Iudaeorum חזנים *chaſſanim* in ſynagoga petendam eſſe, ſuo calculo adprobauit vir ceteroquin doctiſſimus IOHANNES CLERICVS. *** Laudat quoque CAMPEGIVS VITRINGA eorum ſententiam, qui diaconos, quos Paulus ſic vocat & deſcribit in priori epiſtola ad Timotheum, tam *nomine* quam *officio* conformes eſſe חזנים *diaconis* ſynagogae, & cum reſpectu ad illos in eccleſia chriſtiana ab apoſtolis, originc Iudaeis, inſtitutos eſſe: & ipſe omnem mentem & curam

* conf. *Rhenferd.* l. c. §. 48. p. 159.
** Quod obſeruauit C. *Vitringa* de S. V. III. 2. 5. p. 931.
*** ad Actor. VI. 3.

* Grot. diſcuſſ. *dmλ.* ſect. XIV.
** *de Iure epiſcopat.* diſſ. IV. cap. XXVI. & in *annot.* ad Phil. I. 1.
*** ad Phil. I. 1.

in eo defixit, vt conuenientiam inter *Chaſſanitas* ſynagogae & diaconos eccleſiae reperiret. * Sed tamen & hos & illos ab eleemoſynarum collectoribus & curatoribus plane diuerſos eſſe negauit, variisque argumentis adſtruere conatus eſt, *ſeptem* illos *oeconomos* eccleſiae hieroſolymitanae, qui ab apoſtolis ordinati ſunt πρὸς διακονίαν τῶν τραπεζῶν *ad miniſterium menſarum* Act. VI. longe alios fuiſſe a *diaconis*, de quibus Paulus loquitur in epiſtolis ad Timotheum & Philippenſes, & quales in eccleſiis chriſtianis primaeuis paſſim hoc nomine cogniti ſunt. ** Id quidem lubenti animo accipimus חזנים *Chaſſanitas* non fuiſſe eleemoſynarum adminiſtratores; dubitaremus vero, an cum *Chaſſanitis*, infimi ordinis miniſtris comparari poſſent *diaconi*, niſi conſtaret, hos ante inſtitutos ordines eccleſiae inferiores, iſtiusmodi officia omnia, quae ſequentibus ſeculis his ordinibus commiſſa ſunt, explere debuiſſe. *** Nam חזן ſemper *miniſtrum inferioris ordinis* denotat, ſiue ad ciuitatem, ſiue ad ſynagogam, ſiue ad academiam, ſiue ad ſynedrium eum referas. Iudices habebant חזנים *lictores*, *apparitores*, *ſpeculatores*. In academia חזנים miniſtri publici erant, quos vulgo *pedellos* vocamus: in ſynagoga חזנים reſpondebant iis, quos iam *aedituos* vocamus & demum חזני מתא nocturni ciuitatis cuſtodes erant, *nacht-wächter* *; ſed hos omnes iam non curamus. Sufficit dixiſſe, partes חזנים *chaſſanim* ab eorum officiis, qui eleemoſynas adminiſtrabant, plane diuerſas fuiſſe, quod ex ſequentibus patebit.

§. VIII.

Collectores eleemoſynarum erant in omni ciuitate & vbicunque coetus Iſraelis inueniebatur ibi & illi conſtituti fuerunt: MAIMONIDES ** inquit כל עיר שיש בה ישראל חייבין להעמיד מהם גבאי צדקה *omnis ciuitas, vbi Iſraelitae ſunt, debet conſtituere collectores eleemoſynarum* & paulo poſt *** מעולם לא ראינו

* de S. V. III. 2. 4.
** ibid. c. 5.
*** v. *Bingham Origin. ſ. antiquit. eccleſ.* lib. II. c. XX. §. 15.
* vid. *Rhenferd.* de decem Otios. diſſ. I. §. 71. 72. 73.
** Hilc. Mattenoth Aniiim. cap. IX. §. 1.
*** ibid. §. 3.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn327506385/12 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ראינו ולא שמענו בקהל מישראל שאין להן קופה של צדקה. *Nunquam vidimus & audiuimus de coetu Iſraelis, vbi non fiſcus pauperum fuerit.* Et, vbi requiritur, vrbem centum & viginti viris conſtare, quae capax ſit ſenatus viginti & trium virorum, tradunt in codice *Sanhedrin* * מאה ועשרים מאי עבדתייהו עשרי' ושלושה כנגד סנהדרי קטנה ושלוש שורות של עשרים ושלשה הרי תשעים וחרתי ועשרה בטלנין של בית הכנסת הרי מאה ותרי ושני סופרים ושני חזנים ושני בעלי דינין ושני עדים ושני זוממין ושני זוממי זוממין הרי מאה וארבסר ותניא כל עיר שאין בה עשרה דברים הללו אין תלמיד חכם ורשאי לדור בתוכה ב"ד מכין ועונשים וקופה של צדקה נגבית בשנים ומתחלקת בשלושה ובית הכנסת ובית המרחץ ובית הכסא רופה ואומן ולבלר וטבח ומלמד תינוקות *Quodnam opus eſt illorum centum & viginti virorum? viginti & tres ſunt, qui ſenatum minorem conſtituunt, terni ordines viginti & trium, qui ſedent in conſpectu ſenatorum* (vt ex iis, quando neceſſe eſt, iudicibus alii addi poſſint.) *En nonaginta & duos: ſunt decem otioſi ſynagogae, en! centum & duos: duo ſcribae & duo miniſtri, & duo litigantes & duo teſtes: duo falſarii & alii duo falſariorum falſarii. en! centum & quatuordecim. Eſt vero traditio: in nulla ciuitate, vbi non ſunt tres iſtae res, licet diſcipulo ſapientis habitare, ſenatus nempe verberans & puniens, fiſcus pauperum, qui per duos colligitur & diſtribuitur per tres, ſynagoga, balneum, locus ſedis ſecretae, medicus venae ſector, libellarius, lanio & paedagogus.* Ipſi vero ciues e ſocietate ſua ſumebant, quos deſignabant adminiſtratores eleemoſynae. Quod MAIMONIDES & auctor *arba turim*, R. IACOB *bar Aſer ben Iechiel*, & qui ex hoc *ſchulchan aruch*, *menſam* ſuam *inſtructam* parauit R. IOSEPH KARO expreſſe tradunt. ** כל עיר שיש בה ישראל חייבין לחעמיר מהם גבאי צדקה אנשים ירועים ונאמנים *In quacunque ciuitate Iſraelitae ſunt, illi obligati ſunt, ex ſe conſtituere collectores eleemoſynarum, viros notos & fide dignos?* Et in animad-

* fol. 17. b. lin. 10. a f. conf. *Maimon. Hilc. Sanhedrin* cap. 1. §. 10.

** Iore dea cap. 256. ab init.

versionibus ad *schülchan aruch* * גבאי *collector* dicitur הממונה מבני העיר *constitutus a ciuibus*, & paulo post בני העיר *ciues* commemorantur, שמנו גבאי, *qui constituunt collectorem.* Ex *totius coetus* voluntate etiam de officio suo dimoueri poterant.** Id quod ex prudenti consilio a veteribus obseruatum arbitramur, ne de viro suspecto, quem sibi magistratus obtruserit, incolae vnquam quererentur. Quamobrem Apostoli quoque cum *procurationi mensarum* praeficiendi essent idonei viri, conuocabant vniuersam Christianorum societatem & dicebant ἐπισκέψασθε οὖν ἀδελφοὶ ἄνδρας ἐν ὑμῶν μαρτυρουμένους ἑπτὰ πλήρεις πνεύματος ἁγίου καὶ σοφίας οὓς καταστήσωμεν ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης, *cum circumspectione ergo eligite, fratres, ex vobis viros boni testimonii septem, plenos spiritu sancto & sapientia, quos praeponamus huic muneri.* ***

§. IX.

Electos suffragio populi eleemosynae collectores sua auctoritate superiores confirmabant. Erat enim apud magistratum vrbis summa eleemosynarum cura & inspectio. Hic potestatem habebat eum cogendi, qui nolebat dare eleemosynas, ita MAIMON. * מי שאינו רוצה ליתן צדקה או שיתן מעט ממה שראוי לו ביתן ויש כופין אותו מכות מרדות עד שיתן מה שאמרוהו ליתן *Qui non vult dare eleemosynam, aut qui minus dat, quam ipsum decet, eum cogit senatus poena contumaciae, vsque dum dat, quae ipsi dare iusserunt.* Habebat dispensandi potestatem & ad ad arbitrium eius eleemosynae permutabantur. Sic *Schylchan aruch* ** והוא היה במדינה חכם גדול שהכריעו גוים על דעתו והוא יחלק לעניים כפי מה שיראה בדעתו זה יכול לשנותן לכל מי שיראה לו מצרכי צבור *si sit sapiens magnus in illa ciuitate, ad cuius arbitrium omnia colligunt, & qui dispensat pauperibus, prouti visum fuerit ipsi, ecce ille potestatem habet eas in omnes, qui visi sunt ipsi, vsus necessarios publicos commutandi.* Auctor *arba turim* *** habet יש בעיר חבר פי' אדם גדול *si fuerit in vrbe chabber* i. e. vir magnus

* ad Iore dea, c. 256. §. 4.
** vid. animadu. ad l. c. c. 257. §. 2.
*** Actor. VI, 3.

* hilcoth matten. Anijm c. VII. §. 10.
** l. c. cap. 256. §. 4.
*** Iore dea, c. 256.

magnus & illuſtris. Nam nomine חברים *Chaberim* ſapientes Iſraelitae a talmudicis doctoribus exornantur. * Si talis in vrbe eſſet, deponebant apud ipſum negotiatores, qui aliunde aduenerant, ſuas eleemoſynas, vt eas ex ſuo arbitrio diſpenſaret **. Summus vero ſapiens in vrbe loco *magiſtratus* erat, cui parebant. Nam אמרו חכמים שמבית דין הגדול היו שולחין בכל ארץ ישראל ובודקין כל מי שימצאוהו חכם ויראי חטא ועניו ושפוי ופרקו נאה ורוח הבריות נוחה הימנו עושין אותו דיין בעירו ומשם מעלין אותו לפתח הר בית וכו' *tradiderunt ſapientes, quod e ſynedrio magno miſerint quosdam per totam terram Iſraelis, vt inueſtigarent omnem, quem inuenire poſſent ſapientem, timentem peccati, humilem, tranquillae mentis, cuius aetas nulla turpitudine aſperſa, & in quo placidus erat in creaturas animus: illum iudicem faciebant in ciuitate ſua & inde euehebant ad portam montis Dei* &c. In *Schülchan Aruch* *** facultas mutandi eleemoſynas ita tribuitur magiſtratibus ואם ראו הפרנסים שיש צורך שעה ורצו לשנות הרשות בידם. *Quod ſi vident principes, quod horae neceſſitas efflagitet & velint mutare, pollent id agendi facultate. R. Ioſeph Karo* ſuppleuit illud ex *Maimonid.* commentario ad *Miſchnaioth* codicis *Schekalim*, qui adſcripſit eandem poteſtatem לזקנים ואנשי המדינה *ſenioribus & ciuibus.* Vbi *Bartenora* habet שבעה טובי העיר או חבר עיר שכל עסקי צבור נחתכין על פיו: *ſeptemuiri boni ciuitatis aut magnus ſapiens vrbis, ad cuius ſententiam negotia coetus deciduntur.* Fuiſſe enim פרנסים *paſtores* & שבעה טובי העיר & *ſeptem bonos ciuitatis* coetuum iudaeorum moderatores iam CAMPEG. VITRINGA obſeruauit. *

§. X.

Ergo magiſtratus, qui principem curam eleemoſynae gerebant, roborabant ſua auctoritate adminiſtratores eleemoſynae & ſolenni ritu conſtituebant. Ita *R. Chaggai* quando creabat eleemoſynarum collectores librum legis in manum illis tradebat, dicens: omnis

* Buxtorff. L. T. in חבר. col. 704.
** Maimon. hilc. mattenoth Aniim. c. VII. §. 14.
*** Iore dea. c. 253. §. 6.
* de S. V. III. n. 2. p. 634.

omnis poteſtas a lege data eſt ex Prouerb. VIII, 15. 16. Per me reges regnant & per me principes dominantur, * Quod, ni fallor, veſtigium quoddam eſt publicae promotionis per impoſitionem manuum. Referebant enim *adminiſtrationem* eleemoſynarum ad *principatum* & contendebant eam cum iudiciis. Poteſtas vero iudicandi vel dignitas iudicum per manuum impoſitionem conferebatur, per quam ſeniores etiam iudiciis praeficiebantur. ** Et forſan hac ex ratione R. Ioſe *Kepharam* abiit, vt ibi eleemoſynarum adminiſtratores ordinaret, quia huius rei facultatem a ſynedrii magni principe acceperat. Nemo enim a temporibus Hillelis poterat promouere, niſi a principe ſynedrii magni *** facultate accepta. Ita quoque apoſtoli cum ſeptem menſarum procuratores conſtituerent, quos ante conſpectum illorum tota eccleſia ſtatuerat, *προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας*, precati, manus illis impoſuerunt. *

§. XI.

Quibus vero pauperum cura mandanda erat, ii ex certis *notis* digni habebantur. Nullibi quidem inuenimus haec munera e tribu Leui oriundis propria fuiſſe, ſed cuiuscunque tribus viri eleemoſynas adminiſtrare poterant, modo eſſent אנשים ידועים ונאמנים *viri noti & fide digni* **. Moſes, quum magiſtratus inferiores ordinaret in populo ſuo, *date*, inquiebat, *** *vobis homines ſapientes & prudentes* וידועים *& cognitos per tribus veſtras.* Vbi haud ita apte & congruenter *Alexandrini Interpretes* ידועים *συνετὰς intelligentes*, MVNSTERVS ſemel *eruditos* & iterum *gnaros*, & LVTHERVS *erfahrne* transtulerunt. Nam, quae requirebatur intelligentia, eruditio, ſcientia & experientia, iam voces חכמים ונבונים *ſapientes & intelligentes* innuebant. Paraphraſis quidem chaldaica, quae falſo nomine *Ionathanis Vſielidae* inſcribitur, habet מרי מנרעא

---

* in Pea hieroſol. v. ſupra §. 2.
** Maimon. in comm. ad Sanhedr. c. 1. *e.* 3. in Hilcoth Sanhedrin. c. IV. §. 2. 3. 7.
*** Idem hilc. Sanhedr. c. IV. §. 5.

Buxtorff. L, T. in סמך. col. 1498.
* Act. VI. 6.
** Maimon. hilc. Matten. aniim. c. IX. §. 1. Iore dea. cap. 256.
*** Deuteron. I. 13. 15.

מנרעז *domini notitiae*, vbi מר, ſicuti Ebraeorum בעל, *concretum denominatiuum* conſtituit, & nos incertos relinquit, an velit *viros ſcientes*; an vero *notos* & celebres ſignificare; ſi quis ſenſum priorem eligere velit, non aduerſabimur, ſic enim Pſeudo-Ionathan aeque male expoſuit, ac *Onkelos*, qui מרעין *ſcientes* habet. Eſt enim ירועים participium, quod nunquam actionem ſed paſſionem denotat. Adeoque magis conuenienter illud vertunt *Iunius* & *Tremellius cognitos per tribus veſtras*, & interpres vulgatus, *quorum conuerſatio ſit probata in tribubus veſtris* & iterum, *nobiles*, non tam genere, quam maxime virtute inſignes. Moſes obtemperauerat conſilio Iethronis, qui electos volebat* *viros ſtrenuos, timentes Dei, veraces, oſores lucri:* ad quod R. ABENESRA ita commentatus eſt: והנה הזכיר יתרו אנשי חיל שיש להם כוח לסבול הטורח ולא יפחדו מהם והנה כנגד אנשי חיל אמר משה כשהוא מספר הדבר הבו לכם אנשים כמו בחר לנו אנשים כלם אנשים ואמר יראי אלהים שאין להם יראה מאדם רק מהשם לבדו וכנגדם אמר משה חכמים ונבונים כי לא יתכן להיות ירא שמים כראוי רק מי שהוא חכם ואמר יתרו אנשי אמת שאינם כזבנים שנאי בצע ממון והם נודעים ככה למראה עיני אדם וכנגדם אמר משה וידועים *Ecce! commemorauit Iéthro viros ſtrenuos, quibus virtus eſt ferendi laborem & moleſtiam & non tremunt eos* (iſraelitas, ciues) *en! reſpectu* virorum ſtrenuorum, *quando idem Moſes enarrat* Deut. I. 13. *dixit:* date vobis viros, *ſicuti* Exod. XVII. 9. *elige nobis viros* Num. XIII. 4. *omnes erant viri. Deinde dixit* Iethro timentes Dei, *quibus non eſt timor hominum, ſed ſolius Dei; intuitu horum Moſes ait*, ſapientes & intelligentes, *quia nemo recte timebit Deum, prouti fas eſt, niſi ſit ſapiens.* Porro *dixit Iethro*, veraces, *qui non ſunt mendaces*, oſores lucri *i.e. diuitiarum, & tales cogniti fuerunt in conſpectu hominum; ex horum ratione Moſes dixit* & notos. Erant itaque ירועים, qui omnibus *probitatis* laude pernoti & celebrati ſunt. IOSEPHVS** quando idem Iethronis conſilium enarrat, de eligendis iudicibus ita ſcribit ὁι δοκιμα δέν-

* Exod. XVIII. 21.

** antiquit. Iudaic. lib. III. c. 3. p. 77.

τες ἀπὸ τ῀ πλήθ῀ς πάντως εἶναι ἀγαθοὶ καὶ δίκαιοι περὶ τε τῶν διαφόρων αὐτοῖς κρινῶσι. *Probati a multitudine, omnino viros esse bonos & iustos, de controuersiis eorum decernent.* Erat δοκιμασία apud athenienses diligens inquisitio, an, qui admittendi erant ad magistratum, muneri isti rite obeundo pares essent: quae per suffragia & testimonia fiebat. Hinc Paulus quoque vult diaconos constitui per δοκιμασίαν 1. Tim. III. 10. & huic respondet, quando apostoli requirunt, vt mensarum procuratores sint * ἄνδρες μαρτυρούμενοι *viri boni testimonii* & TERTVLLIANVS inquit** *Praesident probati quique seniores honorem istum non pretio; sed testimonio adepti.* Quod testimonium non summorum; sed optimorum virorum, non vnius, non duorum; sed plurimorum esse debebat: quippe quod a toto coetu perhibebatur. Excludebantur simul ab eiusmodi publicis officiis omnes, qui tanquam lapis a Ioue in terram demissus, indigenarum stuporem excitabant.

§. XII.

Alterum, quod in collectoribus eleemosynarum requiritur, est, vt sint נאמנים, *fideles.* Fides vel in dictis & conuentis est, vel in rerum administratione. Vtraque autem cum altera tam arcte cohaeret, vt vacillante hac, illa corruat. Ratione prioris testes vocantur נאמנין fide digni ***: Ratione posterioris *Nehemias** aerario praefecit Schelemia sacerdotem, Zadockum scribam, Pedaiam vnum leuitarum, & horum amanuensem, Chanan filium Saccur filii Mathania, כי נאמנים נחשבו *quia fideles reputabantur.* Mosem etiam, quem frater ipsius & soror suspectum reddere moliebantur, Deus ipse publice laudauit, tanquam seruum נאמן *fidum* in domo sua.** Quod diuinum testimonium, quando Paulus repetit, eum πιστὸν *** appellat. Πιστὸς vero, *fidus τῷ ἀδίκῳ iniusto, iniquo* opponitur.* *Fideles* itaque esse debebant, qui eleemosynarum administrationi praeficiebantur; nam nulla ab

iis

* Actor. VI. 3.
** Apolog. aduerf. gent. p. 80. edit. Pamel. Parif. 1583.
*** Iesaiae. VIII. 2.
* cap. VIII. 13.
** Num. XII. 7.
*** ad Ebrae. III. 2. 5.
* Luc. XVI. 10.

iis reposcenda erat ratio. Quod Maimonides * tradit אין מחשבים בצדקה עם גבאי צדקה ולא בהקדש עם הגזברין שנאמר אך לא יחשב אתם הכסף הנתן על ידם כי באמונה הם עושים. *Rationes non ineunt de eleemosynis cum collectoribus, neque de pecuniis sanctis cum quaestoribus, quia scriptum est* 2. Reg. XXII. 7. *Veruntamen non subducebatur cum illis ratio pecuniae traditae in manum illorum, nam fide illi agebant.* Quod fieri solebat, משום חשד *propter suspicionem,* quia nefas erat, fidem bonorum virorum in suspicionem adducere. Cum enim viri probi omnium suffragio cogniti fuissent, dum officio suo praeficiebantur, eorum fide & probitate quisque fretus erat. Sed gemina datur exceptio : saepius optimi quique viri clandestinis vulgi calumniis immerito petuntur : deinde varii & mutabiles sunt animi hominum, vt, accepta occasione, facile in vitia delabantur, quibus ante liberati puri & integri visi sunt. Ad euitandum prius, consultius erat, quemque eleemosynae administrum sua sponte reddere rationes. Quod docetur in *Arba turim:*** משום חשד גבאי צדקה הכשרים אין מרקדקין אחרי' ומ"מ כדי שיהו נקיים מהשם ומישראל טוב להם שיתנו חשבון. *Ne suspectos reddant collectores elcemosynarum probos, non studiose inquirunt in illos : attamen, vt sint innocentes coram Deo & Israele, bonum est ipsis, rationem reddere.* Ad impediendum posterius, ne furem faciat occasio, ab iis omnino exigebantur rationes, &, si qui inhabiles deprehensi sint, ii prouinciam deponere cogebantur. Vti traditur in *animaduersione* ad *Schulchan Aruch* *** אבל מי שאינו כשר או שנתמנה באלמות וחזקה צריך ליתן חשבון והוא הדין בכל ממונים על הצבור וכשרוצים חצבור יכולין לסלק הגבאי ולמנות אחר ואין כאן משום חשד. *Qui vero non idoneus aut absque suffragio & per vim constitutus est, eum ad exhibendas rationes adigunt. Et ita iure agitur cum omnibus*

 prae-

* Hilc. Matten. Aniiim cap. IX. §. 11. ex Codic. *Baba Bathra* fol. 9. a. lin. 13. vbi glossa : אין מחשבין לומר הוכן נתתם מעות שגביתם *Non exigunt rationes, dicendo, quonam contuliftis, quae collegiftis.* In Gemara tamen citatur 2. Reg. XII. 16.

** Iore dea cap. 257.

*** cap. 157. §. 2.

praefectis. Et quando vult coetus, pòteſt collectori munus abrogare & alium in locum eius ſufficere. Nam hic ſuſpicionis formido locum non inuenit.

§. XIII.

Hinc caute & ſollicite agere debebant, ne arrepta leuiſſima occaſione, vulgus eos in ſuſpicionem furti, vel proprii commodi traheret. Eo ſpectant, quae tradunt de collectoribus eleemoſynarum, ne pecunias in platea inuentas loculo ſuo, ſed eleemoſynarum arculae immittant, domi demum ſeparandas *; ſimiliter praeceptum erat de pecuniis, quas mutuo datas in platea recipiebant. Ita docent in *Baba Bathra* ** הילך נושה בחברו מנה ופרעו בשוק לא יתננו כיסו אלא נתנן לתוך ארנקי של צדקה ולכשיבוא לביתו ישלם. ſi *crediderit proximo pecunias, hic vero numeratas reddiderit in platea, ille in marſupium ſuum non reponat eas; ſed in arculam eleemoſynae, & quando domum venit, auferat.* Haec ibi proxime ſequuntur ea, quae ante de pecuniis in platea inventis diximus. Quorum vnam eandemque cauſam adtulit *gloſſa* שלא יאמרו מעות של צדקה הוא גונב ne dicant: *pecunias eleemoſynae furatur.* Ex hac ratione *** גבאי צדקה אין רשאים לפרוש זה לגבורת *collectoribus eleemoſynarum non licitum erat, vt vnus ſeparatim ab altero colligeret* שלא יאמרו זה הגובה יחידי רעתו לגנוב *ne dicant, hic ſolus colligit, intendit furtum.* * Porro, אין מונים מעות של צדקה שנים שנים שלא יחשדוהו שנוטל אחד מכל מנין אלא מונין אותו אחד אחד: *non numerabant nummos eleemoſynae binos, vt ne ſuſpicarentur, de vnoquoq; numero vnum auferri, ſed ſingulos numerabant.* ** Vbi MAIMONIDES *** rationem adfert ex ſacra ſcriptura Num. XXXII. 22 *Et eritis inſontes apud Iehouam & apud Iſraelem.* Ad hoc apte quadrat quod Paulus velit,* diaconos ἀνεγκλήτους eſſe, eos, *quos nemo criminari poteſt.*

§. XIV.

---

* Conf. ſi libet, quae adducta ſunt ex *Baba Bathra* §. II. diſſ. noſtrae de *Fiſco & paropſide.*

** fol. 8. b. l. 8. a fin.

*** A. T. Iore dea. c. 257. ex *Baba Bathra* l. c. l. 11. a fin.

* Gloſſa ad *Bab. Bathr.* l. c.

** A. T. Iore dea cap. 257. ex Bab. Bathr. fol. cit. l. 5. a fin.

*** Hilc. matten. Aniiim cap. IX. §. 10.

* 1. Tim. III. 10.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn327506385/20 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

§. XIV.

Debebant collectores eleemosynae etiam *sapientes* & *intelligentes* esse. Quod docet auctor *Arba turim* * ita : צריכין הגבאין שיהו נאמנים חכמין ונבונין *Necesse est, sint collectores fideles, sapientes & intelligentes.* Quales etiam esse volebant apostoli mensarum administros : ἐπισκέψασθε οὖν ἄνδρας πλήρεις πνεύματος ἁγίου καὶ σοφίας. *Circumspicite ergo viros plenos spiritus sancti & sapientiae* ** Sapientiae erat scire & obseruare peraequam proportionem in distribuendo. Hinc MAIMONIDES *** cum חכם *sapiens* coniungit ויודע להנהיג כשורה *qui scit dirigere ad lineam*, ne unus pauperum omnia, alter vero nihil accipiat. Qua ex causa apostoli quoque, cum *hellenistae* quererentur suas in quotidiano ministerio viduas negligi, *sapientes* distributores constitutos volebant. Erat sapientiae inquirere in pauperes, an digne an indigne eleemosynas percipiant. Quod testatur auctor *Arba turim* modo laudatus quando verbis adductis addit שיבקשו על כל עני ועני ליתן לו הצריך ויבקשו עליהם שלא יהו רמאים : *vt accurate inuestigent, quantum cuique pauperum pro sua necessitate praebendum sit, & vt diligenter inquirant in eos, ne sint fraudatores.*

§. XV.

Tam necessariae hae collectoris eleemosynarum virtutes erant, vt, si deessent, nemo amplius de conferenda sua eleemosyna in fiscum teneretur. *Auctor Arba turim* * אם אין גבאין חכמין וראויים לכך דוחין אותם ולא יגבו כלל ואם אין יכולין לרחותן אסור לתת צדקה על שכן אמרו חכמים לא יתן אדם פרוטה לארנקי של צדקה אלא א"כ ת"ח מסונה עליה : *si collectores sapientes non sint & idonei, remouent eos officio ne quidquam colligant : sin vero non possint remouere, prohibitum est dare eleemosynam. Nam ita dixerunt sapientes : nullus det prutam in fiscum eleemosynae, nisi homo sapiens ipsi praefectus sit.* Singulare vero fidei & sapientiae exemplum in eleemosynarum administratione R. Chanania filius Tardiion edidit, quod imitandum proponunt ve-

* in *Iore dea* cap. 256.
** Actor. cap. VI. v. 3.
*** Hilc. matten. Aniiim. cap. X. §. 8.
* Iore dea cap. 256.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn327506385/21 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

teres iudaeorum doctores, ex quorum doctrina tradidit MAIMONIDES * לא יתן אדם לתוך קופה של צדקה אלא אם כן יודע שהממונה נאמן וחכם ויודע להנהיג כשורה כר' חנניה בן תרדיון: *Nullus quicquam in fiscum eleemosynae conferat, nisi sciat, quod praefectus fidelis, sapiens & sciens sit dirigendi ad lineam, sicuti R. Chanina filius Tardeion.* R. Chanina filius Tardeion officio collectoris eleemosynarum functus est **, aliquando nummos a ciuibus suis collegerat, vt distribueret eos pauperibus, in conuiuium, in festo Purim celebrandum & in nullam rem aliam impendendos: quos per errorem cum caeteris eleemosynae nummis commutauit & erogauit in paupères ad vsus quotidianos; agnito autem errore nummos *Purim* de suo compensauit.*** Recensetur alias inter הרוגי מלכות occisos regni, qui ob religionem iussu imperatorum Romanorum supplicio adfecti sunt, & ipse vna cum libro legis combustus fuit. Quod factum esse dicitur circa tempora captae vrbis *Bitter* ab Adriano imperatore.

§. XVI.

Duplices erant collectores, ratione duplae speciei eleemosynarum, quae in alendos pauperes erogabantur. Alii גבאי של קופה *collectores fisci* erant, alii גבאי של תמחוי *collectores paropsidos.* Colligebantur etiam eleemosynae in captiuorum redemtionem, in vestitum & sepulturam pauperum & ad publicos locandos orphanos: quarum administrationi vel alii praefecti erant, iisdem iuribus cum collectoribus fisci gaudentes, vel hi ipsi easdem partes susceperunt. Praefecti fisci tres erant: duo colligebant; ita in *Schulchan aruch* * הקופה אינה נגבית בפחות משנים שאין עושים שררה על הצבור בממון בפחות משנים אבל לאחר שנגבית אחד נאמן עליה להוציא גיזבר: *eleemosynae fisci non colliguntur a paucioribus quam duobus, quia non praeficiunt coetui magistratum in re pecuniaria, nisi minimum constet duobus: posteaquam*

---

* Hilc. matten. Aniiim. c. X. §. 8. conf. *Abhoda sara* fol. 17. b. l. 22.
** v. Raschi ad Abhoda sara l. c.
*** Abhoda sara fol. 17. b. l. 15. in celeberr. *Edzardi* versione cap. 1. Abh. sar. p. 137. & in annot. 1. p. 323.
* Iore dea cap. 256. 3. vid. etiam *Maimon.* l. c. cap. IX. §. 5.

quam vero collectae sunt, vnius fidei committuntur, qui sit aerarii custos. Quando vero distribuebant, duobus hisce tertius additus est. Ita enim, paucis interiectis, pergit auctor *Schulchan aruch* ואינה מתחלקת אלא בשלושה לפי שהיא כדיני ממונות לעיין על כל עני ועני כמה ראוי ליתן לו: *Et non distribuitur eleemosyna fisci, nisi per tres, propterea quod speciem habeat iudiciorum pecuniae, dum de singulis pauperibus dispiciendum est, quantum cuiuis dare conueniens sit.* Non vni; sed pluribus res eleemosynae mandabatur, ne vlla suboriatur fraudis suspicio, in quam vnus solus facile venire poterat: quod impedimentum erat, quo minus promte & liberaliter eleemosynae conferrentur. Tanto promtior quisque est, quo certius scit optima fide & plurimorum iudicio suam eleemosynam curari. Vnus solus qui colligit eo nomine suspectus fieri potest, quod sibi ipsi, non pauperibus colligat. Quando itaque duo ebraeorum collectores per plateas ibant & exigebant, se vnum separare ab altero non licitum erat.* Paulus quoque ad Corinthios, ut stipem pro egenis Iudaeae ecclesiis colligerent, cum Tito duos alios fratres misit Barnabam forsan & Silam, fidei certae & spectatae probitatis homines, quos commendauit, vt sine vlla dubitatione suae adhortationi obtemperantes, promtam pecuniae collationem facerent.**

§. XVII.

Tres quoque paropsidos administri erant qui totidem collegerunt, atque distribuerunt. Ita *Schulchan aruch* *** ותמחוי שמתחלק בשלושה כך אינו נגבית אלא בשלושה לפי שאינו דבר קצוב וצריכים לעיון על כל אחד ואחד כמה ראוי שיתן: *eleemosynae paropsidos prout distribuuntur per tres, ita non colliguntur, nisi per tres, propterea quod res fixa non sunt & hinc eos oportet iudicare de singulis, quantum quisque dare debeat.* Distinguitur paropsis a fisco, quia in hunc colliguntur pecuniae, quas vnicuique ciuium per singulas hebdomadas conferre a magistratu fixum & statutum erat; * in illam vero, quantum quotidie ciborum & fructuum

* vide supra §. XIII.
** 2. Cor. VIII. 18. 22. 23. conf. Henr. Bullingeri comment. ad h. l.
*** Iore dea cap. 256. 3.
* Maimon. l. c. c. IX. §. 1.

&tuum cuique dare incumbat, non potuit definiri; sed tota res ad praesens *collectorum iudicium* rediit Hinc totidem esse debebant, quot alias collegium triumuirale, minimum senatorum consessum, apud Iudaeos constituerunt. Nam: אין בית דין פחות משלושה כדי שיהא בהן רוב ומעוט אם היתה ביניהן מחלוקת ברין מן הדיוט. *Non constat senatus paucioribus quam tribus, vt sit sententiarum multitudo & paucitas, si disceptatio existat de re iudicanda* *. Comparatur quidem collegium *administrorum paropsidos* cum iudicibus causarum capitalium, non ratione numeri. Hi enim erant viginti tres. ** Sed, quia in illorum manu potestas quasi vitae & necis pauperum esset, quibus in singulos dies cibos praebebant. *** Et, si collegium fuerit viginti trium virorum; interea, dum omnes ad deliberandum conuocarentur, fieri facile potuisset, vt pauper, qui auide sua alimenta expectabat, fame periret. * Aliud demum discrimen est inter *fisci & paropsidos collectores*. Poterant illorum munera duo fratres simul obire: horum vero non poterant. **

§. XVIII.

Exigendae erant eleemosynae vel ab homine liberali vel a restricto & tenaci: non offendere debebant illum collectores; huic vero non indulgere. De illo tradit *Maimonides* *** אדם שוע שהוא נותן צדקה יותר מן הראוי לו או שמיצר לעצמו ונותן לגבאים כדי שלא יתביש אסור לתבעו ולגבות ממנו וגבאי שמכלימו ושאר ממנו עתיד להפרע ממנו שנאמר ופקדתי על כל לחציו: *Ab homine liberali, qui plus dat eleemosynarum quam ipsi conuenit, aut qui se ipsum adstringit ad praebendum eleemosynas collectoribus, ne pudore adficiatur, prohibitum est poscere & exigere: nam collector qui adficit illum ignominia & poscit ab ipso eleemosynas, aliquando puniendus erit, nam scriptum est Ierem. XXX. 20. visitabo omnem qui vrget illum.* Hunc vero magistratus adigunt per

* Maimon. Hilc. Sanhedrin c. 1. §. 4.
** Maim. hilc. Sanhedrin c. V. §. 2.
*** conf. Rhenferd. de decem otios. diss. I. §. 98.

* vid. locum ex *Pea* adduct. §. 2.
** Schulchan aruch. Iore dea. c. 256. 3. *Pea hierosol.* l. c. add. *Rhenferd.* l. c.
*** Hilc. Matten. Aniiin. c. VII. §. 10.

per contumaciae poenam, vt quam debet ſtipem conferat *: imo יורדין לנכסיו בפניו ולוקחין ממנו מה שראוי לו ליתן וממשכנין עד הצדקה ואפילו בערבי שבתות: *inuadunt in facultates ipſius, & ſumunt, quantum illum dare oportet, & pignoribus cogunt ad eleemoſynas, ſi vel maxime fiat in veſpera ſabbathi.* Maior quoque eorum celebratur merces, qui coguntad erogandas eleemoſynas, quam qui coacti erogant. Quod praeſertim de collectoribus eleemoſynarum intelligendum eſt. Maimonides enim **, vbi haec docuit, ſtatim ſubiunxit, quod de collectoribus eleemoſynarum & hiſce ſimilibus dictum ſit Dan. XII. 3. *Qui faciunt, vt multi eleemoſynas erogent, ſicuti ſtellae* &c. Praeterea ſibi cauere debebant, ne ab ipſis acciperent eleemoſynas, qui de ſuis nil conferre poterant. Hinc a mulieribus, a ſeruis & ab infantibus non niſi rem paruam accipiebant. Rei magnae ſuberat rapti aut furti ſuſpicio. Et ſi maritus, dominus aut pater prohiberet a dictis perſonis vel quantulumcunque accipere, nefas erat. ***

§. XIX.

Vt rite diſpenſarent, oportebat eos pauperis vel neceſſitatem vel honorem vel integritatem & innocentiam bene conſiderare. Attendere ad vniuscuiusque neceſſitatem ſapientis collectoris erat *, vt aequabilem partitionem obſeruaret. Hinc המחלק צרקה צריך ליזהר שלא ירבה לקבורין יותר משאר בני אדם *admonendus erat diſtributor, ne multiplicaret eleemoſynam propinquis ſuis magis quam ceteris hominibus* ** Tradunt quidem Iudaeorum doctores, praeferendos eſſe alienis propinquos***; hoc autem non fieri debebat a publico adminiſtratore; ſed a quocunque priuato, qui ipſe eleemoſynas de ſuis facultatibus porrigebat. Si vero pauper diuites propinquos haberet, ipſum ex publico fiſco alere non debebant. Ita docetur in *Schulchan Aruch* * עבי שיש לו קרובים עשירים

* vid. ſupra §. IX.
** Maim. l. c. c. VII. §. 10.
*** Schulch. Aruch Iore dea. c. 248. §. 4. Maimon. l. c. cap. VII. §. 12.
* v. ſupra, §. XIV.
** Schulchan Ar. Iore dea. c. 257. §. 2.
*** Maim. l. c. c. VII. §. 28. Schulch. Aruch. l. c. c. 251. 2.
* Iore dea. c. 257. §. 8.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn327506385/25 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

עשירים שיכולין לפרנסו אין גבאי העיר חייבים לפרנסו אף על גב דקרוביו גם כן נותני בלים: *Pauperem, qui diuites propinquos habet, qui ipsum alere possint, non debent collectores publici alere, quamuis propinqui ipsius in fiscum contribuant.* Pauperem quoque, qui vasa aurea & argentea habet, cogunt, vt vendat ea, antequam publicas eleemosynas accipiat. * Quoad *honorem*, si multi adsint pauperes, sacerdotem leuitae, leuitam israelitae, israelitam profano, profanum spurio, spurium collectitio, collectitium noto, notum nethinaeum proselyto, proselytum liberto anteponunt. Idque fieri debet, quando pares sunt in sapientia. Si verosacerdos magnus plebeius sit, & spurius sapiens, hic illum antecedit. Omnis quoque qui magnus est sapientia socio suo praeferendus est. ** Quoad integritatem denique perscrutari debebant, ne essent pauperes fraudulenti, qui simulata indigentia, panem aliis praeriperent. Si vllae fraudes multiplices sunt, sunt mendicorum. Est in manibus nostris libellus dialecto germanica eaque obsoleta consignatus, & vti, celato impressionis anno & loco, ex antiquo literarum charactere coniicere licet, seculi decimi sexti circiter initio impressus atque *liber vagatorum, der betler orden* inscriptus, vbi malae artes mendicabulorum circumforaneorum ad stuporem vsque recensentur. Quibus ex causis iam apud ebraeos prospectum erat, vt eleemosynarum administri in ignotorum pauperum vitae integritatem inquirerent. *** עני שאין מכירין אותו ואמר רעב אני האכילוני אין בודקין אחריו שמא רמאי הוא אלא מפרנסין אותו מיד היה ערום ואמר כסוני בודקין אחריו שמא רמאי הוא ואם היו מכירין אותו מכסין אותו לפי כבודו מיד ואין בודקין אחריו: *pauper, quem non norunt, quum dicit, esurio cibum praebete mihi: non inquirunt in eum, num forte fraudulentus sit, sed statim pascunt illum. Si nudus fuerit & dixerit, obtegite me, inquirunt in ipsum, num forte fraudulentus sit. Sin vero cognouerint illum, obtegunt veste pro dignitate sua statim & non inquirunt.* Ex quo simul patet

* Maim. c. IX. §. 14. Schulch. Aruch. c. 253. §. 2.
** Maim. l. c. c. VIII. §. 17. Schulch. Aruch. Iore dea. c. 251. §. 9.
*** Maimon. Hilc. Mattenot Aniim. c. VII. §. 6.

patet, inquisitionem hanc certis descriptam fuisse terminis. Famelico sine vlla quaestione cibum praebebant. Posset enim periculum esse, ne forte, dum inquirunt, ipse fame & inedia confectus pereat. * Hac ex ratione similes visi sunt *collectores paropsidos* iudicibus causarum capitalium, quasi de vita & nece pauperis iudicium ferrent. Praeter eiusmodi casum omnino inquirebant. Quod a primis christianis haud neglectum videtur. *Tertullianus* enim, quando de modica stipe, quam vnusquisque menstrua die vel quam velit & si modo velit, & si modo possit, adponit, locutus est, pergit. *Haec quasi deposita pietatis sunt. nam inde non epulis nec potaculis nec ingratis voratrinis dispensatur; sed egenis alendis humandisque & pueris ac puellis, re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis & in custodiis, duntaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt.* **

§. XX.

Ex ordine diuidebant praefecti fisco suas eleemosynas pauperibus domesticis singulis vesperis sabbathi, & dabant, quantum cuique per totam hebdomadam alendo sufficiens esset. *Praefecti* vero *paropsidi* suas singulis diebus inter pauperes mundi partiebantur. Horum vero maxime in ieiuniis solennibus erat officium, pauperibus alimenta prospicere. Quod MAIMONIDES *** docet

בתעניות מחלקים מזונות לעניים וכל התענית שאכלו העם
ולו חלקו לעניים הרי אלו כשופכי דמים ועליהם נאמר
בקבלה צדק ילין בה ועתה מרצחים במה רבים אמרים
בש"ל נתנו להן הפת והפירות שאופלים בהם הפת כגון
תמרים וענבים אבל אם אחרו המעות או החטים אינן
כשופכי דמים: *in ieiuniis diuidunt alimenta pauperibus: nam omni ieiunii tempore, quum comedit populus & pernoctauit & nullas distribuit eleemosynas pauperibus; est instar eorum, qui effundunt sanguines, de quibus in prophetis dicitur* Iesa. I. 21. *iustitia pernoctaret in ea? iam homicidarum est. De quo intelligenda haec verba? quando illis non dant buccellam* (particulam ciborum, quos post peracta ieiunia comede-

 rant)

* vid. Rhenf. l. c. p. 166.
** Apolog. aduerf. gent. p. 80. edit. Parif. an. 1583.
*** Hilc. M, Anii. c. IX. §. 4.

rant) & *fructus, de quibus partem edere solebant, e.c. dactylos & vuas, sed, si pecunia aut tritica dare differant, non sunt instar eorum qui effundunt sanguines.*

§. XXI.

Quando fiscus exhaustus erat, mutuo dare debebant collectores, teste auctore *Schulchan aruch* * משחסר בכיס של צדקה צריך הגבאי להחזירה וכשימצא בכיס לאחר זמן נפרע ממנו ואין צריך לישול רשות מהנותנים בכיס *Quum penuria est aerarii eleemosynarum, necesse est, collectorem commodare & quando extant nummi in aerario ex interuallo commodatum ab iis subirahendum est: neque opus est, potestatem petere ab iis, qui in fiscum conferunt.* Fides enim & probitas collectoris in hac re valet. Nam הגבאי שאומר בעודו גבאי כך וכך הלויתי לכיס של צדקה נאמן בלא שבועה אף כשאינו לאחר שפלקוחו *collector, quando dicit cum adhuc collectoris munere fungitur, tanta est summa, quam commodauit fisco pauperum, fide dignus habetur absque iuramento; sed non postea quam dimouerunt ipsum ab officio.* **

§. XXII.

Si pecuniae essent in fisco, nulli vero adessent pauperes, eas permutare poterant collectores. *Schulchan aruch* *** גבאי צדקה שאין להם עניים לחלק מצותם ממעות דיניהם. *collectores eleemosynarum, quando nullos habent pauperes, quibus distribuant, obolos cum denariis permutant.* Quod desumtum est ex *Baba Bathra*, * vbi extat פורטין, quod glossa exponit: פרוטות שגבו לוקחין דינרי כסף לפי שחפרוטרות של נחושת מחלודות: *pro prutis, quas colligunt, sumunt denarios argenteos, propterea quod prutae nummi aenei rubiginem contrahunt.* Additur לאחרים אבל לא לעצמם *aliis, sed non sibi ipsis.* Quae noua admonitio collectorum est, ne sui commodi studiosi sint vel certe huius suspicionem sibi excitent. Hanc rationem *glossa* dedit, אין פורטין לעצמן משום שפורטין בזול. *non transmutant sibi ipsis, ne in suspicionem veniant, quod in viliori pretio sibi transmutauerint.* Et ita ** אם צריכים

* Lor. dea. c. 257. §. 5.
** Ibid. §. 6.
*** Lore dea cap. 257. 2.

* fol. 8. b. lin. 6. a fin.
** Schulchan Aruch. l. c.

צריכים למכור מה שגבו מהתמחוי ומכרו לאחרים אבל לא לעצמם מפני החשד: *si cogantur vendere, id quod collegerunt paropsi-de, aliis, non sibi ipsis vendunt, ad euitandam suspicionem.* Mutuo tamen accipere poterant fisci pecunias, si pauperibus emergeretur ex dilatione vtilitas. Ita *Maimonides* * היה לעניים הנאה בעיכוב חמעות ביד הגבאי כדי לעשות לאחרים ליתן הרי אותו הגבאי מותר ללוות אותם חמעות של עניים ופורע שהצדק אונס כהקדש שאסור ליהנות בו: *si existat pauperibus vtilitas per retardationem pecuniarum in manu collectoris, ad efficiendum, vt alii dent: en ille ipse collector potest eas pecunias pauperum mutuo accipere & post restituere, quia eleemosyna non sicuti res sancta est, ex qua vtilitatem capere prohibitum est.* His addenda essent quaedam de permutatione eleemosynarum *fisci* in eleemosynas *paropsidos* & vtriusque huius speciei in alias, aut in vsus necessarios totius ecclesiae. Quia vero haec non in potestate *collectorum*; sed totius ciuitatis, eiusque magistratus, erat, eam hic missam facimus, alii loco, vbi omnes reliquas eleemosynae ebraeorum species persequemur, reseruandam. De mercede administrorum eleemosynae tantum adiicimus, quod cum RHENFERDO ** de stipendiis illorum nihil inuenerimus in iudaeorum scriptis. Potius, cum ex hactenus dictis luculenter pateat, quod ipsis omnis suspicio vel species proprii commodi captati sollicite esset euitanda, vllum eos ex officio stipendium cepisse, negamus. Non enim aequum erat, vt eleemosynis praefecti, oneri essent populo atque eas attenuare & exhaurire iuuarent. In quo tanto magis confirmamur, quia mercedem eorum in altera vita futuram, tam extollunt, vt eos cum מזכי רבים *ducentibus multos ad iustitiam* conferant, qui futuri sunt ex effato sanctissimi Prophetae Danielis ***, vt sicuti stellae splendeant in sempiterna secula. Cuius felicitatis intuitu huius mundi animum ingratum & conuitia experiri gaudebant. Ita R. Lazar, cum sibi pauperes, postquam ederunt & biberunt, maledixisse audiret, mihi bona, inquiebat, merces expectanda erit. *

* cap. VIII. §. 5.
** de decem otiof. diff. 1. §. 83.
*** c. XII. 3. Maimon. c. X. §. 6.

* vid. loc. ex Pea hieros. adduct. supra §. II.

§. XXIII.

Tandem tria adhuc breuiter nobis disquirenda sumemus, primo, an collectores eleemosynarum fuerint ex *decem otiosis*, deinde an ex *septem viris bonis ciuitatis* & denique an *diaconorum* primaeuae ecclesiae originem ad eos referre possimus? Quod ad primum attinet, IOHANNES LIGTFOOTVS inter decem otiosos synagogae officia & ministeria synagogae ita partitus est, vt tres ex iis גבאים *diaconos* vel eleemosynarios faceret, quos etiam פרנסים parnasim, pastores dictos fuisse existimabat. Cuius error occasionem dedit vtilissimae controuersiae inter duos magnos viros celeberrimos, eiusdem academiae Franequeranae doctores, CAMPEGIVM VITRINGA & IACOBVM RHENFERDVM. Quorum vterque in mutuis scriptis multa praeclara ex antiquitate tam ebraeorum quam christianae ecclesiae patefecerunt & illustrarunt, & nostro de administratoribus ebraeorum eleemosynae argumento haud paruam lucem adtulerunt. Quamuis ergo, vti VITRINGA, collectores eleemosynarum haud plane velimus ex synagoga eiicere: quandoquidem ab ipsis ebraeis ad eam referuntur * & eleemosynarum administratio rebus sacris, quae ad synagogam pertinent, vti ordinatio lectionis prophetiae & interpretatio, annumeratur & a ciuilibus distinguitur: ** attamen locum iis inter decem otiosos concedere non possumus. Quippe a quibus maxime diuersi erant. Decem otiosi synagogae erant decem homines probi, qui nihil curabant, nisi res coelestes, i. e. vt legerent legem & sederent in synagogis, vt tempore precum semper decem ibi inuenirentur: alebantur ex publico & proprii erant vrbibus magnis, adeo, vt in minoribus oppidis non existerent. *** Quae cum ita sint, haud dubia erit *decem otiosorum & collectorum eleemosynae* distinctio. Illi in vrbibus tantum maioribus erant; hi vero in quocunque coetu Israelitarum; * illi eiusdem inter se ordinis & dignitatis erant, idem nomen, eadem officia & priuilegia

* In Schulch. arcuch. orach. Chaii. c. 53. §. 26. vid. ap. Rhenf. diff. II. §. 23. p. 144.
** testimon. ex *Iuchasin* adduxit Rhenf. l. c. §. 24.
*** Rhenferd. l. c. diff. I. §. 19. p. 21.
* v. supra §. VIII.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn327506385/30 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

uilegia habebant; hi ſunt vel collectores *fiſci* vel *paropſidos* & diſtant inter ſe, ratione rei, quam colligunt, ratione numeri & temporis, quo colligunt, ratione pauperum, quibus colligunt & demum ratione neceſſitatis. *Fiſcus* enim vbique in omnibus omnino locis neceſſarius erat; *paropſis* non item. Porro illi munere ſuo in ſola ſynagoga functi, mane & veſperi tempore precum quotidie ſe ſiſtebant, ad ſacrum numerum denarium conficiendum, & primi & vltimi atque aſſidui in ſynagoga eſſe debebant; hi oſtiatim & vicatim obibant, ſtipem & cibos colligebant pauperibus alendis, eademque non in ſynagoga, ſed extra illam diſtribuebant. Quod non patiebatur loci ſanctitas. In ſynagogis enim & ſcholis nulla immodeſtia vtebantur, riſu, luſu aut inepta confabulatione. Neque edebant aut bibebant in illis, iisue vtebantur: imo ne quidem deambulabant in illis, iisue tempore aeſtiuo ſuccedebant, vt ſe aeſtui ſubducerent aut pluuiae; tempore pluuiae. * Neque inſtituti erant hi, vt precibus, praeter ceteros vacarent, aliis ſero venientibus in ſynagogam, aut etiam negligentibus inſeruirent, ſuamque praeſentiam eis accommodarent. Illi ſtipendia populi accipiebant; hi vero non. Hi magiſtratum conſtituebant; illi vero non. Accedit, quod non tres, ſed iam ſex vel minimum quinque eſſent eleemoſynarum adminiſtratores, & quod, nominatim hi ab *otioſis* in talmudicorum ſcriptis diſtinguantur. Quae omnia ſolide euicta dedit egregius antiquitatum ſcrutator IACOBVS RHENFERDVS. **

§. XXIV.

Iterum Ligfootus inter שבעה טובי העיר *ſeptem bonos viros ciuitatis* retulit tres *diaconos* ſeu *eleemoſynae collectores*. Sed hi paſſim פרנסים *gubernatores* & aliquando זקנים *ſeniores* vocantur, & curam ſuperiorem ſeu inſpectionem eleemoſynae habuiſſe dicuntur. In quorum poteſtate ſitum erat, eleemoſynas in quamcunque aliam rem commutare. Ab his itaque dependebant collectores, quibus idem ex ſuo arbitrio facere non licitum erat. *** Adeoque hi ab illis plane diſtincti fuerunt.

§. XXV.

De origine demum diaconorum primae eccleſiae chriſtianae iam

* Maimon. Hilc. tephillin. cap. XI. §. 6.
** de decem otioſis. diſſ. I. §. 87. & ſqq.
*** vid. ſupra §. IX.

iam obſeruauimus, *διακονίαν miniſterium* in ipſo ſacro noui foederis codice, vel *verbi diuini* vocari vel *menſarum*. Si prioris generis *diaconos* ſpectes, ad Leuitas referas, cum quibus illi, VITRINGA ipſo fatente multa communia habuerunt. Appellantur Leuitae, משרתים *Miniſtri* * cui reſpondent graecorum *διάκονοι* **. Vocabantur quidem ipſi ſacerdotes משרתים *miniſtri* *** ſed diuerſo reſpectu. Hi משרתי יהוה miniſtri Dei, illi vero משרתי בית vel משרתים במקדש *miniſtri templi* vel ſanctuarii. Ita quando apoſtoli *διάκονοι* nominantur, id fieri ſolet reſpectu habito ad Deum & ad ſummum paſtorem Chriſtum Ieſum *, cum ceteri ex relatione ad ſummos doctores, in terris diaconi ſint. Ad imitationem *diaconorum templi* ſeu *Leuitarum* ordinati ſunt *diaconi* vel *miniſtri ſynagogae*. Hinc quando aliquam ſimilitudinem inter miniſtros eccleſiae chriſtianae & ſynagogae iudaicae inuenero, altius malim aſcendere ad Leuitas, quam hiſce inhaerere. Quod ad poſterioris generis *diaconos* attinet, fuerunt illi omnino eleemoſynarum adminiſtratores & reſpondent ebraeorum גבאים *collectoribus*. Quod ſatis clarum eſt ex ſeptem diaconorum officiis, quos conſtituerunt apoſtoli. Licet enim hi non oſtiatim colligerent, habebant tamen poteſtatem diſtribuendi ex ordine de iis, quae in communem ſocietatem congeſta fuerant. Ex hac ratione eisdem virtutibus praediti eſſe debebant, quae in ebraeorum collectoribus requirebantur. Plures quidem erant quam tres, ſeptem nimirum, quia tot ſufficientes erant multitudini, qui ſingulis rite proſpicere poſſent. Erat tamen numerus impar, qualis in collegiis iudicum ebraeorum ſolennis erat. Et iure hiſce nomen diaconorum tam a veteribus quam a recentioribus eccleſiae doctoribus tribuitur, quamuis id ſuae indulgens hypotheſi CAMPEGIVS VITRINGA miretur. Quibus enim res, illis & nomen competit, ſatis luculenter ab ipſis apoſtolis in vocibus *διακονία* & *διακονεῖν* indicatum. Reliqui quoque diaconi ab apoſtolis praeſertim 1. Tim. III. commemorati curam pauperum habuerunt. Quae enim ibi in diacono Paulus requirit, ea omnia eo collimant, vt ſiſtat eleemoſynae adminiſtratorem fide dignum, in quem nulla fraudis, furti vel certe proprii commodi ſuſpicio cadat. Apparet itaque hos poſterioris generis diaconos primum receptos fuiſſe in eccleſia chriſtiana prima, eum in finem, vt tantum prouidam pauperum curam gererent, prouti & hodienum in quibusdam eccleſiis, aerario ſacro praefecti, *diaconi* vocantur. Extra ordinem tamen & quoad impulſi erant ſpiritu ſancto, iis quoque licebat euangelium annunciare & docere, prouti in STEPHANO & PHILIPPO videmus. Poſtea demum, quibus extra ordinem functi ſunt partibus, eae ipſis factae ſunt ordinariae. Adeoque diaconi verbi diuini ex diaconis, eleemoſynarum adminiſtris, orti ſunt. Qua in re nos nuper confirmauit inſignis Helmſtadienſium Iure conſultus IOH. PAVLVS KRESSIVS ** in eruditiſſimo de *archidiaconatu* opere; ad quod beneuolum lectorem ablegantes, iam calamum deponimus.

* 1. Chron. VI. 17. c. XVI. 4. Ezech. XLIV. 11. XLV. 5.

** Ter tranſtulerunt Alexandrini interpretes משרת per *διάκονος* Eſth. I. 10. II. 2. VI. 3.

*** 2. Chron. XIII. 10. Ioel. I. 9. II. 17.

* 1. Cor. III. 5. 2. Cor. XI. 23.

** Idiomate germanico prodiit, ſub titulo *Rechts begründete vollſtändige Erläuterung des Archidiaconat-Weſens. Helmſt.* 1725. in fol. in cuius capite primo de origine diaconorum agitur.

FINIS.

B. L. velit §. 4. l. 8. *adminiſtratoribus*. §. 5. p. 8. l. 4. a f. *eleemoſynariorum* p. 13. l. 11. a f. *decem* legere &, ſi quae alia irrepſerint, humane excuſare.

Coll. diss. A. 132, misc. 11

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn327506385/32 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG